DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HAEMOPTOE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX

Amplissimi SENATUS ACADEMICI auctoritate et consensu,

Ac Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

Pro GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BERKELEY, Anglus.

Ad diem 10 Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud Hamilton, Balfour, et Neill,
Academiae Typographos.
MDCCLXII.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

HAEMOPTOE.

HAEMOPTOE dicitur, ſanguinis rutili plerumque et ſpumantis, a laeſis pulmonum vaſis, evacuatio. Gravis frequens, et ſaepe lethalis morbus, praecipue in his ſeptentrionalibus regionibus, ubi varium et mutabile ſemper coelum, omnes pulmonum affectiones, plerumque reddit graviores. Qua de cauſa, et quia egregii qui de hoc morbo ſcripſerunt viri, de ejus indole et curatione multum inter ſe diſſenſerunt; hoc ex celeberrimae Academiae legibus inſtitutum tentamen, ejus inveſtigationi dicamus.

PULMONUM fabricam et uſum, uti ſatis notum, praetermittimus; et primo, hiſtoriam morbi tradituri, ab haereditaria in morbum diſpoſitione incipiemus; de illa poſtea corpo-

ris conformatione, quae in hunc prae caeteris morbum disponit, et de tempore ejus invasioni maxime obnoxio, paucis dicemus. Sequuntur post haec causae, et modus quo suos edunt effectus, et symptomata quae inde sequi solent, simul et ea, quae ab aliis morbis haemoptoen distinguunt. Posthaec prognosis, pro variis mali causis, variisque symptomatibus, varia: Quam denique excipit medendi methodus.

Haereditaria dispositio.

HAEMOPTOE ab haereditaria saepe diathesi oritur; id quod non tantum in hoc morbo contingit, sed et in epilepsia, mania, scrophula, podagra, multisque aliis. Verum an fermento cuidam, certa aetate, fluida inquinaturo sit tribuendum; an potius malae solidarum partium formationi, causis externis ansam praebenti; non nostrum est dijudicare. At quid variae corporis conformationes in morbis inducendis possint, monstrant, frequentiores in infantia capitis affectiones, circa pubertates annos, capite acmen adepto, haemorrhagiae narium, et, uti postea demonstrabimus, circa tertium septenarium, frequens haemoptoe. Et quum externarum partium similitudinem

ſimilitudinem a parentibus ad liberos tranſmitti, quotidiana doceat experientia, dubium non eſt, quin cum ſimilitudine internarum, tranſmitti poſſit in haemoptoen praediſpoſitio. Accedit ad haec, quod infantes, qui affecti parentis ſimilitudinem, in externo corpore maxime prae ſe ferunt, in eoſdem morbos procliviores, optimi obſervaverint clinici.

Quae corpora.

Omnes autem huic morbo maxime obnoxii ſunt homines, quibus anguſtum aut male conformatum pectus, pulmonum dilatationi reſiſtit. Hinc gibboſi et diſtorti plérumque in eum prae caeteris proni ; humeri quoque elati, difficile enim reſpirantium eſt corporis poſitio, et pectoris anguſtiam ſignificant. His optimi adjunxerunt obſervatores, candidos colore amaeno roſeo, cute pellucida et caeruleis oculis, hilares, ſubtiles, praecocis ingenii: Quique cholerici temperamenti, vaſa habent ampliora, et ſtrictiorem corporis habitum: Quibus frequentes in juventute haemorrhagiae, quibus extremitates juſto minores vel membrum aliquod truncatum: In iram et impatientiam proclives, quibus

bus pulſus celerius micat. Adultos quoque praecipue adoritur; mares magis quam foeminas: Hae enim, qua aetate acmen attingunt, a ſuperabundante ſanguine catameniis liberantur. Adde, quod dum coſtarum elevatione magis quam deſcenſu diaphragmatis reſpirent, a quibuſdam haemoptoes cauſis minus afficiantur; ab iis ſcilicet quae ſepti tranſverſi deſcenſum impediendo agunt. Quae vero foeminae, pathematibus hyſtericis obnoxiae, menſium fluxum ſub atrocibus ſpaſmis patiuntur; uti et viri hypochondriaca paſſione laborantes, in hanc affectionem frequenter incidere ſolent.

Qua aetate incidat.

Ea aetate frequentiſſime accedit haemoptoe, qua corpus acmen adeptum, ulteriori ſolidorum extenſioni magis reſiſtit; fluidis interim, eadem ut antea proportione, augeri perſeverantibus; dum rigidiora ſolida contenta magis conſtringunt, et coarctata in corporis ſuperficie vaſa, perſpirationem minuunt. Boerhaavius Hippocratem ſequutus, aetatem, ab anno decimo ſexto ad trigeſimum ſextum, huic morbo maxime obnoxiam ſtatuit. Alii ad quadrageſimum extendunt.

tendunt. Alii, accuratius forte, inter annum decimum octavum, et vigesimum quintum, saepissime accidere contendunt. Sunt qui, ab anno vigesimo quinto ad trigesimum quintum, a desinente corporis incremento, haemorrhagias frequentiores observarunt. Qui strictiore sunt corporis habitu, maxime in juventute; qui autem laxo, spongioso, sanguineo, per omnem saepe aetatem, visitantur.

Anni tempestas.

OMNIBUS anni tempestatibus contingit; sed iis praecipue, quibus maximae frigoris et caloris sese excipiunt vicissitudines: Omnium autem frequentissime, quum calor vernalis, rarefacti sanguinis impetum per constricta priori frigore vasa, accelerat. Adeo ut, mense Februario, et circa aequinoctium, haud raro anniversarium et quasi popularem, viderit HOFFMANNUS. Quid autem censendum de haemoptoe, omni novilunio redeunte, cujus memorat clarissimus MEAD?

Causae.

CAUSAS habet omnes consuetas evacuationes sanguineas suppressas; sive naturales fuerint excretiones, sive subtractiones artificiales: Vitam

tam ſedentariam cum lautiore vivendi conſuetudine; infarctum aut obſtructum viſcus ſanguineum; aut in ipſis pulmonibus, tubercula, ſchirros, ulcera, eroſiones; polypoſas in corde vel majoribus vaſorum ramis, concretiones; omnes denique vaſorum majorum obſtructiones, et quicquid rarefactionem ſanguinis inducere valeat, ut cibi acriores, potus ſpirituoſi, corporis vel animi motus inordinati, calores nimii, balnea, etc. Eodem etiam ſpectant omnis violentior in tollendis oneribus et in puerperio niſus, tubarum validae inflationes, clamores, et in graviori tuſſe vehemens pulmonum exagitatio.

Quamvis plethora ſive boni et purpurei ſanguinis abundantia, inter haemoptoes cauſas vix numerari poterit, quum tali gaudentes ſanguine, uti ruricolae exercitati, minime ea infeſtentur; medicorum tamen obſervatione compertum eſt, ſanguineos, otioſos, ſanguine ſeroſo abundantes, accidentibus aliis cauſis, eam ſaepiſſime pati. Denique, quidquid ſanguinem majori impetu et copia, in vaſa pulmonalia determinare valet. Hinc primaria, et forte neceſſaria, haemoptoes cauſa, eſt ſpaſmodica vaſorum, aut in abdomine

abdomine, aut in remotioribus corporis partibus, ſtrictura; qua liber ſanguinis circulus, coarctatis alibi meatibus, intercipitur; et in alias partes ubi minor datur reſiſtentia, impellitur: Hinc corpus, ſed praecipue pedes, frigori expoſiti, et animi pathemata, precipue timor, multum in haemoptoe excitanda poſſunt.

SANGUINIS eruptionem, a cauſis internis inductam, praecedunt ea quae ſpaſmodicam ſtricturam teſtantur, ſigna. In cute horripilatio; in extremis, et maxime in pedibus, frigoris ſenſus; dolor in dorſo, laſſitudo et gravitas artuum; borborygmi, flatulentiae, et adſtricta alvus; undulatorius, cum gravitatis ſenſu, in imo pectore motus; cum virium languore, et nauſeabunda circa ventriculum anxietate; pectoris anguſtia et ſtimulo ad tuſſim. Sequitur ſalſus in ore ſapor, et pruriens ſecundum aſperae arteriae tractum titillatio, et tandem, fere ſine tuſſi, exit ſanguis floridus coccineus ſpumans, cum ſtrepitu pulmonis, anhelitu, pulſu celeri, molli, undoſo. Haec autem omnia, non omnibus contingunt.

Quibus ingruit ſymptomatibus.

SUPPRESSA

Quibus recrudescit symptom.

Suppressa iisdem fere recrudescit symptomatibus. Nonnunquam, superveniente febrae, per paroxismos invadit. Saepe enim, ait Wagnerus, cum oscitatione et pandiculatione, plerumque sub vesperam, supervenit febris, intermittentem plane referens, cum frigore febrili et summis praecordiorum angustiis, a determinato versus interiora sanguine; calore febrili et nova subsequente haemorrhagia, adeo ut febris paroxismos comitentur sanguinis eruptiones. Bis die, hora scilicet quarta matutina et nona vespertina, cum febre redeuntem vidit Hoffmannus. Hoc autem ex eo oriri videtur, quod constrictis febrili frigore exterioribus corporis, renovetur fluidorum versus pulmones determinatio.

Symptomata quae sequuntur.

Sanguinis fluxum sequitur plerumque, anxietatis, et circa pectus oppressionis, ab exoneratis jam vasis, levamen: Urget autem tussis, pro ratione loci affecti saevior; si ab aspera arteria fluat sanguis, vix sensibilis: Si vero ab ultimis vesiculis, parva quamvis prodeat quantitate, tussis frequens erit, profunda et molestissima: Et quo profundiora

rupta

rupta fuerint, vaſa, eo ſemper moleſtior propter difficiliorem extravaſati ſanguinis ejectionem; hinc ſequitur ſomni defectus.

CESSANTE ſanguinis fluxu, magna aliquando evacuatur pituitae viſcidae copia, per eaſdem vias, propter manentem humorum erga pectus determinationem, nimiamque membranae bronchiorum glanduloſae relaxationem.

DIXIMUS jam, quae corpora, qua aetate, invadat morbus, qua graſſetur tempeſtate, cauſas unde originem trahat, quibus ingruat, quibus recrudeſcat, et excipiatur ſymptomatibus. Liceat nunc paucis de proximis ejus cauſis, earumque operatione diſſerere.

PROXIMAE omnes haemoptoes cauſae a ſola obſtructione originem trahunt, quae vel auctae fluidorum quantitati debetur, vel vaſorum capacitati imminutae: Quaerendum ergo eſt, quid has ſolidorum vel fluidorum mutationes inducat, et quomodo hae in haemoptoe excitanda agant.

ET hic prima occurrit inveſtiganda, ſingularis illa, et in corpore praeexiſtens in hunc morbum diatheſis; quam vocat celeberri- A mala corporis conformatione.

mus Boerhaavius "temperiem illam "qua verget in haemoptoen." Haec praecipuam ſedem in mala corporis conformatione habere judicamus; ſive naturalis haec fuerit, et a parentibus tradita pectoris anguſtia; ſive accidentalis curvatura et diſtortio. Nam compreſſi undique anguſto thorace pulmones, neceſſaria dilatatione et incremento impeditis, ſanguinem per venam pulmonalem tranſmittere nequeunt; unde obſtructiones, et ramorum arteriae pulmonalis minorum aneuriſmaticae diſtenſiones; et, accedente cauſa externa, faciles rupturae.

Determinatio ad pulmones.

Hunc etiam in bene formato pectore praeſtant effectum, multae, quae aequabilem ſanguinis circulationem turbant, cauſae. Sic obſtructus lien aut hepar, diſtenta flatibus inteſtina, conſtricta ſpaſmis inferiorum partium vaſa, ſiniſtri cordis ventriculi evacuationem impediunt; hinc impedita venae pulmonalis depletione, ſanguine implentur ad crepaturam uſque pulmones. Concretiones quoque polypoſae in aorta eoſdem praeſtant effectus; vel ſi in majoribus arteriae pulmonalis

lis ramis fuerint, hos obſtruendo, majorem ſanguinis copiam, majori impetu, per caeteros apertos devertunt: Pari ac in hydraulicis machinis ratione, ubi obſtructis aliquibus canalibus, fluida per caeteros apertos, majori impetu ire coguntur; venae interim, quae in pulmone, alia quam per reliquum corpus ratione, arterias correſpondentes, luminum magnitudine, non exaequant, laterali quoque diſtentarum arteriarum compreſſione obſtructae, ſanguinem reducere nequeunt.

Corporis incrementum.

ALIAM numeravimus haemoptoes cauſam, corporis ſcilicet incrementum. Eo enim tempore, quo corporis ad acmen appropinquantis incrementum inſigniter diminutum eſt, manente eadem vi aimapoetica, omnia corporis vaſa, ſanguine quam maxime diſtendi neceſſario debent; et a ſublata, fluida inter et ſolida noſtra, proportione, ſaepe pendere haemorrhagias confirmari videtur, exemplo infantum, quorum capita, habita ad reliquum corpus ratione, juſto majora ſunt, ſic uti oportebat, ut ſenſuum organa citius ad maturitatem pervenirent. Hi, ſub ſecundo ſeptenario, cum plethora incipit ad ſyſtema

vergere

vergere arteriosum, et caput acmen adeptum ulteriori incremento resistit, narium haemorrhagiis maxime sunt obnoxii: Adde, quod cum crescente corpore, crescat in contenta fluida solidorum compressio; unde in male formatum pulmonem urgetur plethora, ea lege, qua compressa undique fluida, qua minima datur resistentia, ire coguntur.

Ob cutim obstructam.

Eodem pertinet, tubulorum, materiam insensibilis perspirationis in corporis superficie excernentium, coarctatio, quod sub id tempus, ab aucto solidorum elatere, contingit. Multo vero magis a suscepto frigore, a gravi terrore, vel ab alia quavis causa, oriunda spasmodica externarum partium constrictio. His enim non solum minuitur perspiratio Sanctoriana, verum inducitur fluidorum versus interiora determinatio, ut probant renovati, ab aëre frigido corpori applicato, menstruorum fluxus, aucta ab eadem causa urinae secretio, alvique dejectiones.

Obrestitit autem sanguinem.

Suppressae evacuationes sanguineae, ab omnibus fere observationum medicarum scriptoribus, inter haemoptoes causas recensentur. Tendit enim natura, fluidorum jacturam

turam, ſive in neceſſariis vitae functionibus fuerint conſumpta, ſive praeternaturali evacuatione deperdita, reparare. Hinc poſt frequentiores ſanguinis excretiones, accedit quaſi quaedam naturae conſuetudo, ſanguinis majorem copiam generandi, quam vitae functionibus ſit neceſſaria; inde, haud magno temporis intervallo, ceſſantibus his evacuationibus, nimia fit ſanguinis copia, ad acceſſum cauſarum externarum in praediſpoſito corpore, per vaſa pulmonalia cito erupturi. Pari ratione fit, quod extremitatis inferioris amputationem fere nunquam non ſequatur, in homine adulto forti et vegeto, haemorrhoidum fluxus: Immo ſummae experientiae in arte viri, in femoris amputatione, non niſi poſt earum acceſſum, prognoſin formare auſi ſunt. In haemoptoe, ab hac cauſa, ſanguis ſaepius per dilatata extrema arteriolarum oſcula, quam per rupta vaſa, excerni creditur.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

A ſputo cruento.

Quae ſit conſueta morbi facies, ex praegreſſis colligi poteſt. Reliquum eſt igitur, ut veram pulmonum haemorrhagiam, ab aliis ſanguinis per os excretionibus, diſtinguamus; et primo a cruentis illis ſputis, quae ex interiori faucium, gurgulionis et narium ductu, ſcreatu potius quam tuſſi ejiciuntur: Differt in eo, quod haec parciora ſint, et muco obſcuro ſanguine ſtriato, potius quam ſincero et ſpumante ſanguine, conſtent. Adde, quod in hoc caſu, capitis aliarumque partium affectarum levamen, unde ducant originem, demonſtret.

Aliquando deſtructum inflammatione jecinoris parenchima, per concretum peritonaeum et ſeptum tranſverſum, fiſtuloſo ulcere in pulmonum ſubſtantiam, ſe inſinuat, et per aſperam arteriam, cum tuſſi, forma ſputi rubro-nigricantis et ſpumoſi, eliminatur; ab haemoptoe autem, praegreſſis ſymptomatibus, et conſiſtentia vini oleive foeces referente, diſtinguitur.

Sputum

Sputum illud cruentum, quod primis pleuritidis vel peripneumoniae diebus excerni ſolet, ab iis glandulis provenit, quae unctuoſum, ad aſperae arteriae ſuperficiem lubricandam, humorem exſudant: Harum enim oſcula uti in catarrho conſtricta, humorem tantum ſeroſum, ſic demum relaxata, aliquando perexiguam ſanguinis quantitatem pituita permixtam tranſmittunt; tale etiam ſputum ſine ullis pleuritidis vel peripneumoniae ſymptomatibus, uti et ſine ullo haemoptoes phthiſeoſve periculo, pluribus menſibus mane et veſpere redeuntem vidit Willisius. Hic autem mucus parva ſanguinis quantitate ſtriatus, facilem praebet diſtinctionem. A ſputo pleuritico.

Sanguis, qui a ventriculo prodit, craſſus, venoſus, nigricans, nunquam ſpumoſus; cum nauſea et anxio conatu, vomitu ejicitur, citra tuſſim, niſi ea caſu inter vomendum excitetur. A vomitu cruento.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Variat admodum, pro varietate causarum, corporum, aetatum, aëris, et comitantium symptomatum, in hoc morbo prognosis: De cujus difficultate sic divus medicinae parens: "Qui sputo cruento detinentur, ex his quidam "brevi tempore intereunt, quidam diutius "trahunt; praestat enim aetas aetati, corpus "corpori, et affectio affectioni, anni tem-"pestas tempestati in qua aegrotant: Qui-"dam enim morbos facile tolerant, quidam "omnino tolerare nequeunt." Hipp. Foes. § 10. Omnium autem haemorrhagiarum hanc periculosissimam pronunciare non dubitamus: Verum quum a causarum vel symptomatum saevitia judicanda sit, prout his stipata, examinanda occurrit: Et primo uti simpliciter a causa externa.

A causa externa.

Haemoptoe a causa externa, si inter triduum compescatur sanguinis fluxus, sanationem non respuit; nec tamen periculo vacat. Pulmo enim in motu respiratorio ad vitam necessario perpetuo versatus, vasorum consolidationem

lidationem difficile patitur: Verum pati posse, probant magna pulmonum vulnera feliciter sanata. In hoc casu multum ab aetate, a temperamento, a vasorum ruptorum magnitudine, et a sanguinis extravasati rejectione pendebit: Senes, debiles, laxi, aegrius servantur.

A causa interna.

A CAUSIS etiam internis, modo nulla adsit in morbum a male formato pectore diathesis, nec a prius affectis pulmonibus originem trahat, non necessario terminatur in phthisim: Verum, sublatis causis, veluti quae a causa externa, oriunda judicatur.

A suppressa evacuatione sanguinea.

QUAE a suppressis solummodo evacuationibus sanguineis provenit haemoptoe, non a ruptis pulmonum vasis, sed plerumque a dilatatis arteriolarum vaporem in bronchiorum cavum exhalantium osculis, oriri creditur: Et, modo recta adhibeatur vivendi medendique methodus, haud difficilis est sanationis. Hujusmodi haemoptoen periculi omnino expertem, singulis mensibus redeuntem vidisse testatur HOFFMANNUS, in gravidis cessantibus menstruis, et in virginibus,

quae parcius justo tributum solvebant lunare.

Si a febre libera.

In hoc morbi gradu, post debitum diaetae et medicamentorum regimen, (modo nulla superveniat febris) facilis plerumque sequitur sanatio, et sanatus raro recrudescit, vel in phthisin terminatur; verum aeger paulatim, sicuti post alias haemorrhagias, sanitatem et vires recuperat. Phthisis enim quae haemoptoen sequi solet, originem suam, non tam ab exilis vasis dehiscentia, ait Mortonus, quam a statu sanguinis inordinato et hectico ducere videtur.

Cum diathesi.

Verum ubi a diathesi haemoptoica morbus originem duxit, in summo semper mortis phthiseosve periculo versatur aeger. Quum enim causa primae productioni sufficiens, in corpore remaneat, vix ulla arte praecavebitur renovatio, postquam jam rupta vasa faciliorem sanguini exitum conciliaverunt.

Cum dolore et tussi.

Quo gravior circa pectus dolor, quo vehementior et profundior tussis, quo difficilior respiratio, eo semper plus imminet periculi. Ubi Haemoptoen praecessit tussis sicca, et ea sanata remansit, praegressam phthiseos causam,

ſam, tuberculum ſcilicet vel catarrhum, ſignificat. Melior poſt haemoptoen tuſſis magna cum expectoratione, quam parva, ſicca, praeſertim ſi ſputa muco uniformiter ſanguine permixto conſtent. Sputa nigra, vel aquae, qua caro recens abluta fuerat ſimilia, gangraenum et mortem; purulenta phthiſim, deſignant.

Quo ſaepius ſopita recrudeſcit haemoptoe, eo ſemper magis fiet in recidivam prona. Per quas enim ſanguis ſemel et iterum eruperit vias, eas facillime poſtea relegit; accedit enim quaſi quaedam naturae conſuetudo, vel ſolidorum diſpoſitio, qua appulſo validius ſanguini facile viam concedunt: Adeo ut poſt infidas inducias aegro ſaepe inopinato ſuperveniat. Saepius recrudeſcens.

Omnium vero in haemoptoe ſymptomatum, peſſimi ſemper ominis eſt febris lenta, hectica; qua praeſente nihil unquam boni praeſagiendum, abſente vero, nihil non ſperandum. Cum febre.

Haemoptoe ſymptomatica, praecipue variolis, nephritidi, cachexiae ſuperveniens, ſemper lethalis: Et niſi intra triduum compeſcatur

pescatur sanguinis fluxus, semper multum imminet periculi.

In mortem transit.

Mortis aliquando causa est simplex sanguinis jactura, quam imminere saepe praesagit insultus epilepticus, huic morbo superveniens semper lethalis: Saltem si largae praecesserint venaesectiones. Nonnunquam, extravasati sanguinis copia pulmones obruens, deficientibus ad ejus expulsionem viribus, respirationem intercipiendo necat.

Transit in alium morbum.

Non semper vasorum pulmonalium rupturam sequitur phthisis; siquidem nec semper haemorrhagiam excipit suppuratio, ut in narium haemorrhagiis et in haemorrhoidibus satis liquet. Sic haemoptoe, a suppressis solitis evacuationibus sanguineis orta, modo totus ejiciatur extravasatus sanguis, omni phthiseos periculo vacabit. An ideo concludendum, phthisim, non a sola nasci vasorum ruptura, sed cum ipsa haemoptoe communem habere originen tubercula scilicet vel pulmonum obstructiones? Videtur id confirmari ex eo, quod haemoptoe raro admodum sit primum phthiseos symptoma; sed post manifestum jam catarrhum vel tubercu-

lum

lum accedere ſoleat. Verum ſi extravaſatus ſanguis non totus ejiciatur, id quod ſaepe contingit, quoties in ultimis bronchiorum cellulis vaſa rumpuntur; aut ſi actione aeris inter reſpirandum in eas urgeatur, aut vires ad ejiciendum defuerint, facile ſequitur phthiſis. Nam craſſeſcens ſanguis putredinem concipit, tubercula ingignit, unde vomicae, vel ingentes oriuntur exulcerationes; immo gangraena inducitur: Adeo ut ipſa ſphacelata pulmonum ſubſtantia, forma ſputi nigricantis poroſi, lienis cocti ſpeciem referentis, prodeat, cum ſanie aquae, qua recens caro abluta fuerat, ſimillima.

METHODUS MEDENDI.

HAEMOPTOES curationem ſuſcipienti quatuor occurrunt indicationes curatoriae; ſcilicet,

1*mo*, NIMIAM ſanguinis abundantiam tollere;

2*do*, EJUS impetum in vaſa pulmonalia minuere;

3*tio*,

3*tio*, Fluidorum verſus pectus et pulmones determinationem avertere;

Postremo, vaſa pulmonum laxa roborare.

Quod ad primam attinet. Plethora tollitur imprimis venaeſectione; quae, ubi inflammationem teſtatur cruſta phlogiſtica, ſit copioſa: Topicae enim inflammationes parcâ non tolluntur, uti in pleuritide, ophthalmia, *&c.* ſatis liquet. Verum ubi inflammatoriae diatheſeos ſigna minus manifeſta habentur, parvae et ſaepius repetitae, plus levaminis, cum minori virium jactura, afferre ſolent. Si autem debilitatae aegri vires, circulationi in extremis ſuſtinendae vix ſufficiant, omnis ſanguinis miſſio nocebit.

Huic quoque indicationi accommodata eſt diaeta parca; quae ſit ex lacte et facilis digeſtionis vegetabilibus: Haec enim minus calefacientia, et minorem febris gradum inter digerendum excitare ſolent.

Impetum ſanguinis in vaſa pulmonalia minuere. Huic quoque indicationi conducunt, quae ſupra memoravimus, remedia; quibus adjungatur aquae gelidae ingurgitatio. Acida, tam vegetabilia, quam ex foſ-

ſili

ſili regno parata, inordinatum ſanguinis motum compeſcunt; ſicut etiam nitroſa, et alia quaedam neutra. Nitroſa tamen, parva quamvis uſurpantur quantitate, bronchiorum mucum ſtimulo quodam inquinando, moleſtam tuſſim aliquando excitant. Quare parcum ſalis Glauberi uſum, ad ſemidrachmam ſcilicet de die, praeferendum putamus.

Artuum ligaturae, dum reditum ſanguinis per venam cavam in cor dextrum impediunt, ejus impetum et copiam in arteria pulmonali minuunt. Verum ſi ab arteriis bronchialibus fuerit haemorrhagia, ligaturas, aortae ſyſtema implendo, nocere judicamus. Nec ſi ab arteria pulmonali fluxerit ſanguis, diuturnum auxilium adferre poſſunt. Nam impedito per venas reditu, ſanguis venoſus arteriarum depletioni reſiſtit, unde cito ad ſiniſtrum cordis ventriculum, et inde per venam pulmonalem ad pulmones uſque propagatur obſtructio. Adeo ut, propter parvam auxilii ſtabilitatem, et vanos quos aegro ſaepe incutiunt timores, non, niſi ſummum a ſanguinis jactura immineat periculum, uſurpandas cenſemus.

Hic

Hic summopere vitanda acria et stimulantia quaecunque, et quae sanguinis intestinum motum et rarefactionem inducere possunt. Inter haec sunt opiata, quae raro sine summo periculo in haemoptoe usurpantur. Quamvis enim sanguinem in corpore circulantem, ab iis neque coagulari neque attenuari, concedimus, quoscunque in eum extra corpus ediderint effectus; tamen sanguinis rarefactioni et orgasmo favere, et inflammatoriam ejus diathesin augere, contendimus. Et si spasmorum relaxationi prodesse potuerint, multo magis nocebunt, supprimendo tussim, qua sola, extravasatus in bronchiorum ramis cellulisque aëreis sanguis, exantlari possit. At ubi nullum ab inflammatoria diathesi instat periculum, et humores acres catarrhales, bronchia stimulando, summa cum aegri vexatione, continuam fere excitaverunt tussim, prudens eorum usus concedi potest. Conciliato enim blando sopore, aegri vires reficiuntur, et acres bronchiorum humores, stagnando mitescunt.

Nimius etiam corporis calor et motus caute evitandus eſt. Ipſa equitatio, dum manet ſanguinis ſputum, ſemper nociva.

Sanguinis ad pulmones determinationem avertere.

Sanguinis verſus pulmones determinationem, magna ex parte, a ſpaſmodica vaſorum ſtrictura, oriri demonſtravimus: Harum ergo relaxationi inprimis elaborandum eſt: Hic egregium praeſtant effectum pediluvia; ſi non ſanguinem verſus inferiora derivando, ſaltem mira, qua praedita ſunt, in ſpaſmis relaxandis virtute: Haec autem non ſoli calori tribuenda eſt, ſed potius blandae, qua nervos afficiunt, ſenſationi: Balnea enim arenae calidae eoſdem nequeunt praeſtare effectus. Quae ex horum uſu oriri potuerit ſanguinis rarefactio, praegreſſis venaeſectionibus, praecavetur. Huc quoque conducunt ſalia neutra, praecipue ex acido vegetabili et alcalino volatili praeparata. Summopere interim evitanda cutis ab externo frigore conſtrictio.

Solitae evacuationes ſanguineae ſuppreſſae, debitis remediis revocandae ſunt: Sic in

Nosocomio regio saepe sanatam vidimus Haemoptoen, quae a suppresso mensium fluxu originem duxerat, solo pillularum mercurialium usu.

Uti rite procedant evacuationes naturales videndum est. Lenis alvi subductio non solum sanguinis orgasmum temperat, sed et versus inferiora determinando, a pulmonibus avertit. Alöetica autem, quum virtute quadam califaciente praedita haemorrhagiis faveant, usurpari nequeunt. Salia quaedam neutra citam et copiosam afferunt dejectionem, sed non adeo felix eorum usus in alvi relaxatione inducenda; adeo ut nullum in hoc casu aptius detur remedium, quam flores sulphuris; quae, dum calefaciente alöeticorum qualitate carent, aeque certum cum iis habent in alvo solvenda effectum.

Urinae secretio augetur aquae potu; cui immisceri potest sal Glauberi, paulo majori quantitate, quam ad diaphoresin excitandam requiratur; minori vero, quam quae alvum ducat.

Si post infidas inducias recrudescat malum, cum febre statis temporibus et per paroxismos

paroxiſmos redeunte, horripilatione, externarum partium ſtrictura, et febrili frigore comitante, ad corticem Peruvianum confugiendum eſt, uti primus docuit MORTONUS.

VERUM ubi producti nimium paroxiſmi, ſe invicem excipientes, tempus corticis exhibitioni opportunum non concedunt; omnis phthiſeos praecavendae ſpes in eo ſita eſt, ut, ſublato febrili ſpaſmo, redeat cum determinatione ad exteriora, a febre intermiſſio; huc conducunt remedia emetica dicta, ea ſaltem doſi propinata, qua nauſeam tantum inducere valent. His enim remediis magis, quam aliis omnibus, relaxatur cutis conſtrictio, et a ſingulari ventriculum inter et reliquum corpus conſenſu, fit verſus exteriora derivatio. Immo fortaſſe ſolida roborando, hiantia vaſorum ora conſtringunt; et hinc bonos a cl. ROBINSON obſervatos emeticorum in haemoptoe effectus ortos opinamur.

AVERTIT etiam a pulmonibus inflammatoriam diatheſin, externa epiſpaſticorum et veſicantium applicatio; quae, quo propius loco affecto fuerint applicata, eo certius et

citius

citius ſuum praeſtabunt effectum. Praecavenda autem, venaeſectionis et refrigerantium uſu, quae ab eorum ſtimulo oriri poſſint, mala. Tardior fonticulorum actio melius in prophylaxin, quam in praeſentis morbi medelam, convenire videtur.

Vasa pulmonum laxa roborare.

Hic tandem in uſum veniunt adſtringentia et ſtyptica: His enim conciliatur ſolidis fibris robur, quo urgentis ſanguinis impetui magis reſiſtant, et ſpaſmodicis affectionibus minus fiant obnoxii. In hunc finem uſurpari poſſe remedia Saturnina, ſuadere videntur, nonnulla ex his conflata, et a graviſſimis viris laudata, remedia.

Verum quum haec perniciofiſſimos etiam in corpus humanum edere effectus quotidiana doceat experientia, tanquam venena non ſatis notae efficaciae evitanda cenſemus. Aſtringentia Martialia, quamvis humano corpori Saturninis longe minus inimica, non niſi cum cautela et parca copia, in hoc morbo uſurpari poſſunt. Eorum doſin hominibus monſtrare ipſa natura videtur, ait cl. Mead, parca ea copia, quam aquis chalybeatis mineralibus admiſcuit

admiſcuit. Neque ulla forte feliciori forma exhibentur, quam qua, illa in plurimis ex his aquis mineralibus ſubminiſtrat. Et quod ex eorum uſu frequens oriatur haemorrhoidum fluxus, non ab excitatis communibus haemorrhagiarum cauſis pendere videtur, ſed ab inducta, incauto eorum uſu, nimia conſtipatione.

Martialium uſui adjungi poteſt, adſtringentium vegetabilium. Multarum autem, quae hac claſſe recenſentur, plantarum ſatis incertae ſunt operationes. Cortex autem Peruvianus in hoc caſu longe prae caeteris eligendus eſt: Et vel ſolus, vel Martialibus nuptus, primarium in hac indicatione efficit remedium.

Interdum etiam accidit, ſcilicet ubi a ſola vaſorum relaxatione proceſſerit malum, ut etiam ab initio exhibita adſtringentia fortiora, ſanguinis fluxum ſine periculo ſiſtant.

Sublato ſputo cruento et pectoris oppreſſione, convaleſcenti jam aegro concedi poteſt corporis exercitium. Hoc primo ſaltem ſit leniſſimum, vectio ſcilicet in navi vel rheda, et poſtea equitatio. Coeli quoque

convenit

convenit mutatio; male autem ſub aeſtivis ardoribus mittitur aeger in meridionales plagas, ubi nimius calor ſanguinem rarefaciendo, plus mali, quam brumale ſeptentrionalium regionum frigus, afferre ſolet; melius ii, qui aeſtatem nobiſcum, hiemem autem ſub calidiore ſole, peragi jubent.

HAEC quam potuimus breviſſime, ne ultra quam ſolitum eſt, hujus tentaminis moles extenderetur, de haemoptoe ejuſque curatione diximus; et ſi qua minus accurate, minus recte dicta occurrant, uti parcat his ſtudii noſtri praemitiis benevolus lector, rogamus: Quum nec ex longo initum de haemoptoe ſcribendi conſilium, auctorum ſententias comparandi digerendique copiam fecerit, nec optatum ejus elaborationi tempus, res noſtrae conceſſerint. Dolendum etiam nobis multum fuit, quod illuſtriſſimi Baronis VAN SWIETEN, unde tanta lux medicinae affulſit, in hunc morbum commentaria, praelo quamvis excuſſa, ad nos nondum pervenerint.

F I N I S.